



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXXVIII. De Pontificatu Leonis VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXXVIII.

D E

Pontificatu Leonis VIII.

Joannes XII. post mortem Alberici Patris sui Principatum Romæ adeptus, Agapeto II. defuncto, Anno 956. Sedem quoque Apostolicam primæ lanuginis annis, ætatis scilicet 18. invaserat; accedente postmodum Cleri, populi que Romani consensu, legitimus Pontifex habitus, Ecclesiæ Catholicæ, non tam profuit, quàm præfuit: imo morum turpitudine, & pravis exemplis plurimum obfuit. Quare Romano Imperatori, rerum amplitudine gestarum, Ottoni Magno, non ita pridem ab Urbe digresso (huc venerat ad requisitionem Papæ in ejus subsidium contra Berengarium & Adalbertum) humillimè supplicarunt; quatenus Joannem, proditoris, pernitiolæ cum Saracenis etiam conspirationis, insimulatum convenire, populumque oppressum vindicare dignaretur. Eo autem Romam properante Pontifex mala sibi imminencia ominans, fugâ sese proripuit, ac in Campaniam digressus fuit. A civibus Otto susceptus fuit, eique fidelitatem promiserunt, & jurarunt, nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos præter suam electionem aut consensum. Postridie in Basilica Lateranensi indicitur Synodus, cui inter-

fuerunt Cardinales omnes, numero quatuordecim, Patriarcha Aquileiensis morbo correptus, alii que plures ex Germania & Italia Præsules Decreto Imperatorio deferentes. In eadem Joannes accusatur criminum pessimorum, in quæ cum Imperator exactius inquireret; Cardinales & Episcopi, Clerus & plebs universa reposuerunt, sese mirari, quod ea vellet percunctari; quæ nec Hybericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas lateant. Perceptis itaque flagitiis enormibus, quæ contra Papam variè deponebant, jussit Imperator, ut quoniam idioma Saxonicum non intelligerent, Lutprandus Episcopus Cremonensis (idem ille gesta hæc conscripsit) Romanis omnibus Latino Sermone suam mentem exprimeret. Nimirum quia frequenter contingit, ut in Dignitatibus constituti invidorum infamiâ maculentur, per Deum & Sanctos se obtestari omnes, ut nulla in Papam jaculentur convitia, quæ non sint ab ipso patrata, atque à viris probatissimis visa. Tunc Episcopi, Diaconi & Clerus & cunctus Romanorum populus, quasi Vir unus, sub anathematis vinculo, & æternæ damnationis reatu sese obstrinxerunt, quod deposita, imo magis facinorosa scelera ritè

M m m probare

probare vellent : rogâruntque , ut reus citaretur . Milit itaque Imperator , Concilii autoritate , litteras ad Joannem hujus tenoris . *Summo Pontifici & universali Papa Domino Joanni , Oibe divina respectu Clementia Imperator Augustus , cum Archiepiscopis Liguria Thuscia , Saxoniam , Francia , in Domino S. Romam ob servitium Dei venientes : dum filios vestros Romanos , scilicet Episcopos , Cardinales , presbyteros , Diaconos & universam plebem de vestra absentia percunctaremur ; & quid causa esset , quod nos Ecclesia vestra , vestrique defensores videre nolissetis ; talia de vobis tanquam obsecra protulerunt ; ut , si de his tribus dicerentur , vobis verecundiam ingererent . Qua , ne magnitudinem vestram omnia lateant , quadam vobis sub brevitate describimus . Quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus , dies nobis non sufficeret unus . Noveritis itaque non à paucis , sed ab omnibus , tam vestri , quam alterius ordinis vos homicidii , perjuri , sacrilegi , & ex propria cognatione , atque ex duabus sororibus incestus crimine esse accusatos . Dicitur & aliud , auditu ipso horridum , Diaboli vos in amorem vinum bibisse : in ludo alea , foris , Veneris , ceterorumque demonum auxilium poposcisse . Oramus itaque paternitatem vestram obnixè , venire atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis . Si forte vim temeraria multitudinis formidatis , juramento vobis affirmamus , nihil fieri præter sanctorum Canonum sanctionem Data VIII. Idus Novemb. — Nempe anno ætæ vulgaris 963.*

Rescriptum autem Joannis tale est . *Joannes Episcopus Servus servorum Dei . Omnibus Episcopis . Nos audivimus dicere quod vos vultis alium Papam facere : si hæc feceris , excommunico vos de Deo omnipotenti , ut non habeatis licentiam ullum ordinare , & missam celebrare .*

Quandoquidem ergo Imperator & Patres congregati experirentur , quod Papa citatus

nequaquam comparere vellet : petierunt hi ab illo , quatenus , expulso fa inoroso & contumaci , novus eligeretur Pontifex , qui exemplo bonæ conversationis præsit & prosit . In quod cum Otto condescendisset : omnes una voce dixerunt . Leonem venerabilem S. R. E. Proto-Scriniarium , virum approbatum , ad summum sacerdotii gradum nobis in pastorem eligimus . Quod cum cuncti tertio dixissent , annuente Imperatore , Leonem ad Lateranensè Palatium deducunt , & deinde in Basilica S. Petri consecratum venerantur . Vix Otto , dissoluto exercitu , in Tusciam venerat , quando Joannes pecuniâ Romanos corrupit , ut Leonem competitorum Sede deicerent , ipsique Imperatorem trucidarent , verum hic cum paucis selectis rebelles valida manu aggressus , posttravit , & Leonem restabilivit . Sed dum Camerinum , Spoletumque properaret , cognati Joannis illiusque amici & clientes , imo illi ipsi , qui Leonem , summis laudibus extollendo , elegerant ; eundem velut incubatorem Pontificiâ Sede exturbant ; adeo verum est quod Plinius Lib. 8. cap. 3. scribit . *Hyena sicur & ichneumon nunc mas est , nunc femina : ita quidam sui dissimiles nunc fortia loquuntur , nunc molliâ , nunc amici , nunc inimici .*

Quare Leo à plerisque derelictus ad Imperatorem sese contulit . Qui dum reparato exercitu Romam redire disponderet ; priusquam illuc appulisset , Joannes vitam inopitumam consumili morte finivit . Nec diu post Romani omnes , juramenti , quod Imperatori præstiterant , immemores Benedictum Cardinalem Diaconum Papam hujus nominis V. instituerunt , qui Leonis exaltationi , æque ac electioni interfuerat . Mox ablegantur Oratores ad Imperatorem , qui pro necessaria tunc confirmatione electi supplicarent : quos ipse , rei indignitate commotus , non sine gravissima reprehensione à suo conspectu dimoveri iussit : alleve-

rans se potius Imperii perdendi periculum subitum, quam passurum, ut Leo Pontificia Sede dejectus posthabeatur. Hunc in finem valido exercitu instructus Urbem arcta oblatione cingit: demumque ingressus Clerum, civisque sub interminatione gravissimarum pœnarum adegit, ut quondam electum Leonem tanquam verum reciperent Pontificem. Receptus in coacto rursus, apud S. Joannem in Laterano, Concilio ab iisdem Cardinalibus, ceterisque Præsulibus solemnè ritu Leo introducit: quando illi ipsi, qui Benedictum elegerant, hunc suo habitu Pontificio indutum in medium adducunt, ignominiosè exuunt, ac turpiter eiciunt. Inter hos extabat Cardinalis quidam nomine Benedictus, qui in Synodo, à Joanne convocata, unâ cum reliquis Leonem deposuerat; hic perfricta fronte, non verecundabatur afflictum interpellare Benedictum, qua ipse fronte Pontificatum prenlare aulus fuisset, cum præsentem Papam Leonem elegerat, ac promissionem juramentum, de alio non recipiendo, sine Imperatoris voluntate, violasset. Ad hæc Benedictus miserâ subactus, qui aptè faciliterque eadem in complicem regerere potuisset, suam culpam modestè profiteri voluit; vel quod capiti suo timeret: vel quod ex amore Dei hocce impropetium pati mallet, ad pedes Leonis provolutus, se ipsum exinanivit, pallium exuit, lituum eidem obtulit; quem hic mox in frustra contractum abjecit; Benedictum tamen in ordine Diaconatus reliquit. Fuit autem is ab Imperatore Hamburgum abductus; ubi, animi mœrore confectus, haud diu post Anno 965. obiit; non trucidatus Wandalorum incurtu, ut Albertus Cranzius; neque in Saxonia, ut alii, neque Haispurgi, ut Platina scripserant, suam finivit vitam. Ejus corpus Anno 999. Roman fuit translatum. Atque hæc gestarum series potissimum ex Historico Italo coævo, Luitprando Ticinensis Ecclesiæ Levita, Ottoni

gratissimo desumpta sunt, qui aliàs Liuthphrandus (malè à Trithemio Eutrardus appellatus) Cremonensis refertur Episcopus, à Berengario II. Rege Italiæ excussus, in quem suam scripsit *antapodosis*, id est, Retributionem, quasi pro vicissitudine injuriarum ab eo perceptarum.

Quod itaque de Leone hic controvertitur inter eruditos, illud est, an aliquando verus Pontifex Romanus fuerit. Plerique, Baronio teste, eundem pro legitimo habent Christi Vicario, atque in Catalogo Rom. Pontif. recensent. Inter hos sunt S. Antoninus, Wernerus Rolevinck, Papyrius Mafonius, Dominicus Tempesta, Genebrardus, Joande Launoy, Maimbourg, Du Pin, qui *Biblioth. nov. Auth. Eccles. tom. 8. p. 1.* hunc venerandum vocat Leonem, quomodo plus simplici vice eum Luitprandus vocavit *Lib. 6.* Argumenta illorum sunt.

I. Exauctorato Joanne per Concilium Romanum Ecclesia non poterit dici acephala, quando Leo ab iis, quibus competeat jus eligendi, Canonice electus, atque ejusdem electio ab Imperatore ratihabita fuit. Ipse etiam electus à fidelibus pro vero Romano Pontifice habitus: quemadmodum Clerus populusque Romanus, interposito juramento, sese obligaverant: quod nunquam Pontificem eligere vellent citra Ottonis, seu filii illius beneplacitum: hinc, dum Joannes, infamis usurpator Sedis Apostolicæ, licet aliquando Pontifex agnitus, meritò excussus fuit; atque à legitimis electoribus alius subrogatus; necnon ab Imperatore, ad illorum requisitionem, approbatus & ratificatus fuit; pro tali utique citra ambiguitatem habendus erit.

II. Post Joannis mortem in seditione tumultuariè & insubidè creatus Papa Benedictus ab his potissimum, qui defuncto Joanni cognatione aut factione conjuncti fuerant, ut Platina perhibet, post paucos menses officio cessit, quamvis vi & metu, justè illi in-

cussio, compulsus ; quodque suum non erat, Leoni reddidit. Leo interim potestatem absolutam statuendi Pontificem ; ab Adriano I. Imperatori Carolo Magno quondam concessam, Synodali Decreto in Ottonem transtulit ; ut habetur Dist. 63. cap. 23. Quod profectò facere nequaquam potuisset ; si Pontifex verus & legitimus non fuisset.

III. In Martyrologio Romano decimo tertio Kal. Maji recensetur S. Leo IX. ex Comitibus Dasburgensibus oriundus ; quemadmodum etiam numeratur in plerisque antiquissimis catalogis. Inter septimum verò & hunc Leonem nonum, non extitit alius octavus, nisi is, de quo hìc controversitur : adeoque Ecclesia & communis opinio fidelium supponit, ipsum fuisse verum Petri successorem : prout Scriptores synchroni aut suppetes Luitprandus, Leo Ostiensis, Sigbertus, Otto Frising. Reginonis continuator, Theodorus Niemius alique Posteriores in serie Pontificum Max. numerant. Quare illo tempore pro indubitato Pontifice habitus fuit.

Vice versa Leonem Proto-Scriniarium volunt Pseudo-Pontificem Bellarminus, Baronius, Bzovius, Petrus de Marca, Nat. Alexander, Matthias Cheffneux, Antonius Forestus & Recentiores communiter, qui post Annalium Conditorum suas lucubrationes in hac materia ediderunt, ob rationum pondera, quibus ipse illius Pontificatum arietat ; satius arbitrans in Ecclesia monstrum qualecunque caput sufferre ; quam duobus infamari capitibus. Quasi verò nulli intercederet remedium, monstrum scilicet sublato, alterius capitis in locum substitutio. Hæc autem contra Leonis Sedem adhibentur machinamenta.

I. Quod palmare est, Joannes XII. habitus est Summus Pontifex ; ut fateri debent etiam illi, qui convenerunt in unum adversus Christum Dominum ; ergo talis mansit, quoad usque vixit ; nisi fortè ob hæresin ma-

nifestam convictus demonstraretur Papatu excidisse ; quantumcunque alias scelestus extitisset. Constat quippe erroneum esse & hæreticum sentire, quod ob peccata, etiam publica, Ecclesie Præsules excidant potestate clavium. Nullus verè Scriptorum Joanni hæreseos notam affixit : adeoque Pontifex mansit : non obstat quod Concilium Iulud, seu potius, ut Bzovius vocat, Pseudo-Synodus judicium execrandum, spurium, sacrilegum, tyrannicum tulerit ; eumque violenter deponere attentaverit. Nam ut et Avito Episcopo Viennensi, qui initio sæc. VI. floruit, Epistola 31. constat Pontifex Romanus à nemine judicatur. Quod idem definiverunt, referente Anastasio, Bibliothecario, Patres Concilii Romani in causa Leonis III. Idipsum fuit decretum in Synodo VIII. Can. 21. habeturque Distinc. 46. C. Satis evidenter. In Dictatis Gregorii VII. Epistola Innocentii III. Bonifacii VIII. Dist. 40. C. Si Papa. Et diu ante hos potestati sunt Patres Concilii Sinuesani in causa Matcellini Pontificis lapsi.

Excipiunt Leonistæ, quod Joannes aliunde intraverit, quam per ostium in Cathedrali Petri : quodque ideo nequaquam dicendus sit Pater ovium : sed fur & latro, qualem se etiam, quamdiu Sedi incubuit, patris furtis & latrocinii revera exhibuit ; qui, sicut per sæcularem potentiam fuit vehementer elevatus ; ac, refragantibus, penes quos erat, Romanum Pontificem statuere, intrusus ; ita honorem, quem sibi non vocatus tanquam Aaron attribuerat, injustè retinuit ; & tanquàm unus de filiis Belial in clero dominans tyrannidè exercuit. Quin Baronius ipsemet de hujuscemodi incubatoribus sanctæ Sedis, ea tempestate quæ plurimis suis, id est, gravi stylo, ita prosequitur. *Annal. ad Annum Christ. 951. Quis à sceleribus hujusmodi intrusus sine lege, legitime dicere possit Romanos Pontifices ?* Acque acceleratoribus ad scelestissimum Octavianum (qui

Joan. 125

Joannes dici voluit XII. (quasi homo missus à Deo) perveniens ad An. Chr. 955. pergit. Et ipse Tyranni haeres, Tyrannus duplex efficitur; dum etiam in Ecclesia ambiens Principatum, summum Pontificatum usurpat. Et num. 3. Abortivum illum (Joannem) tunc parturit Roma Tyrannis vi pollens; armis omnia miscens, ut nullo pacto tunc dicendus fuerit verus Pontifex.

Posset autem quis non ineptè ex Eminentissimo quaerere. Si nullo pacto Octavianus dicendus tunc Pontifex verus; quandonam ergo talis esse coeperit. De ejus Canonica electione aut legitima assumptione nullum profertur extat testimonium, nullum apud Scriptores monumentum. Neque illi jus conferre potuit mala fidei possessio, quae nunquam praestabit; aut Tyrannici regiminis continuatio. Cum hic locum habere debeat. Quod à principio non valet, tractu temporis non convalescit. Sed neque tolerantia Cleri aut plebis effecit illum Praefulem legitimum, quem revera omnes optabant exulem. Deur ultro, quod Joannes aliquando fuerit Pontifex habitus, & pro tali agnitus, postquam Leo, Imperatore reverso, fuit excuslus, & illum meretricularum illecebris populus Romanus receperit, ut Luitprandus narrat: tunc saltem eo defuncto, dum Benedictus à perjuris perperam electus fuit, reclamante Ottone, cujus equidem consensus, vi juramenti, erat necessarius, Leo verus Pontifex & à populo, licet violenter, uti etiam in Joanne contigerat, compulso admissus, & ab Imperatore stabilitus fuit.

His occurrunt Anti-Leonistae, dicuntque Joannes aliquando & dictus, & sine contradictione habitus fuit verus Pontifex: Leo nunquam: quia nec vivente, nec defuncto Joanne esse potuit. Non vivente, ut jam dictum & probatum fuit supra; non eo defuncto; quia statim Benedictus successit per electionem, si non licitam; saltem validam. Nullum unquam Joanni de Pontifi-

catu suo fuit à populo Romano motum dubium: neque Imperator ipsum desuper aliquando convenisse legitur, quando nequidem reversum extra possessionem remove-re voluit: quod sagaciter Baronius ad An. Chris. 963. num. 8. observat, non humanitatis gratia concessum; sed magis artificio praetermissum, ne alioquin Ottonis Imperium esset illegitimum, utpote à Pseudo-Pontifice Joanne obtentum.

Verùm hæc Eminentissimi conjectura falsæ innititur hypothese apud eos; qui sentiunt, Imperialem Dignitatem Ottoni obvenisse aut ex natalibus, aut ex patris voluntate, successione per Principes ratificata, ex S. P. Q. R. consulto tanquam Italiae liberatori, ac triumphatori; qui à Moguntino Archi-Episcopo consecratus, demum sacrae Unionis ritu à Joanne XII. fuit benedictus, ut post Luitprandam perhibent Sigebertus &c. Certè invictissimus Cæsar is erat tunc munitus exercitibus, ut jura sua incontestabilia contra quoscunque asserere; & sine amissionis periculo conservare potuisset.

Porro autoritates allegatæ Leonistis videntur parum conferre ad hanc causam. Totam quidem rectè credidit Antiquitas; atque in Sacra Scriptura est fundata veritas illa; quod Petrus, ejusque in Cathedra Romana Successores sint à Christo Domino instituti, ut Ecclesiae suae Caput eminent super omnes alios totius Orbis Episcopos, qui omnes eidem subsunt: sic, ut à nemine horum judicari possit, quoniam ipse omnes judicat. Interim tamen locum habere debet, quod Summus Pontifex Sylvester II. inter doctissimos & optimos numerandus epist. ad Seguin. Archi-Ep. Senon. profiteretur explicite his verbis. *Constantanter dico, quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit; saepiusque admonitus Ecclesiam non audierit: hic inquam Romanus Episcopus, præcepto Dei, est habendus sicut Ethnicus & publicanus.* Quomodo ergo Joannes, qui gravissimorum criminum postula-

tus, toties admonitus, nihilominus perseverans, Ecclesiamque in Synodo representatam audire renuens ceteri poterat caput Ecclesiae?

II. Joannes Papa fuit illegitimè exauctoratus: quia testium numerus ad illum convincendum de criminibus fuit insufficientis. à Concilio siquidem Sinuesano septuaginta duo testes in causa Marcellini requisiti sunt. Ita Baronius; qui, arbitro Nat. Alexandro, melius dixisset; nullos fuisse testes legitimos: sed eos accusatores, & testes adeo diversos: ut de uno eodemque crimine vix plures testimonium dixerint. Deinde sententia lata non fuit post trinam: sed præpropere post secundam citationem; nullæ concessæ ad defensionem induciæ: fuitque Imperator ab hostibus Joannis tanquam iudex perverse interpellatus, ut in Sede ejiceretur, quod sine cognitione causæ factum, quatenus alius intruderetur. In qua gravissima actione multa inconvenientia contigisse observat perspicacissimus Cardinalis *loc. cit.* ubi sic invehitur in confessum. *Sed perfunctoriè & levissimè tractata omnia. Quam multipliciter peccatum sit: quamque enormiter erratum, nec puto pro dignitate consequi verbis posse. Unum loco omnium habeto. Nunquam me legisse Orthodoxum conventum Synodalem aliquando habitum, in quo magis Ecclesiasticum jus offensum, magis Canones violati, vulnerata traditio, conculcata, oppressa, atque majori dedecore prostrata iustitia &c. In quam Synodo petitum est ab Episcoporum confesso Imperatorem condemnare Episcopum, vel clericum aliquem: & non potius ab Imperatore postulatum est, ut Synodus hominem Ecclesiasticum damnet? Ast secus in hoc Conventiculo factum est. At quis aliquando accusatus heresiarcha, vel infamissima persona, quæque convicta in Synodo, absque sententia lata, omniumque subscriptione firmata, publice recitata legitur e throno deposita? Ast*

hic una, brevique interlocutione Imperatoris, imo nec interlocutoriâ sententiâ, sed rogatione ipsius Imperatoris, successor est datus Joanni. Nulla enim in eum prorsus sententia est lata. Vidisti monstrum suffectum capiti, nullâ priori capite præciso, sententiâ. Adversus prodigium, executionem absque sententiâ; cum omnis executio dicatur sententiâ executione. Sed etsi omnia rectoque ordine judicari peracta fuissent; nonne sua sponte statim omnia corrumpunt? cum ab excommunicatis ab ipso Pontifice omnia constet esse peracta. Ubi, inquam visa tanta ignorantia Canonum, iudicium tam absurdum auditum, in re tam gravitantiq; momenti?

Verum ut hisce theatralibus Baronius videtur paratragœdiare Leonistis, quæ in Spiritu vehementi concepta, uberiori quodam verborum impetu prolata, magis plausibilia, quam solida ab iisdem habentur; non tamen ejusmodi Rhetoricis tonitruis concutiuntur; qui noverunt cœlestia à Claudianis tonitruis, & à Jovis Salmonea discernere. Negant autem absolutè, post probrosum Joannis effugium Concilium coactum quidpiam intermississe, quod jus, ratio & æquitas exigebant; aut peregisse, quod legibus divinis humanisque adversabatur. Negant insuper, quod restitutum numerus fuerit insufficientis, quodque septuaginta duo requirantur ad condemnandum Pontificem ex supposito Concilio Sinuesano in causa Marcellini Papæ. In apico est ex testimoniis Historicorum corvorum, depositiones contra Joannem factas fuisse legitimas, atque incorrupta fide factas coram Imperatore, exigente ut nominatim crimina exprimerentur. Rei seriem in Concilio gestæ perhibet Luitprandus *Lib. 6. cap. 7.* Tunc (scribit) *consurgens Petrus Cardinalis presbyter, se vidisse, illum missam celebrasse, & non communicasse testatus est. Joannes Episcopus Narniensis & Joannes Cardinalis Diaconus se vidisse, illum ordinasse Diaconum in equorum stabulo non certis temporibus, sunt pro-*

fessi. *Benedictus cum ceteris condiaconis & presbyteris dixit, se scire, quod Ordinationes Episcoporum pretio faceret: & quod annorum decem Episcopum in Tuderina civitate ordinavit. De Sacrilegio non est necesse percunctari, dixit; quia plus videndo, quam audiendo scire potuissimus. De adulterio dixerunt, quod oculis non viderant: sed pro certo sciunt viduam Rainerii, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam cum neptis sua ab usum esse, & sanctum Palatium lupanar & prostibulum fecisse: venationem dixerunt publice exercuisse, Benedictum spirituales patrem suum lumine privasse & mox mortuum esse. Joannem Cardinalem Diaconum, viribus amputatis, occidisse, incendia fecisse, ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse omnes tam clerici quam laici acclamant. In ludo alea, Jovis, Veneris ceterorumque demonum auxilium poposcisse, dixerunt. Matutinas & Canonicas horas cum non celebrasse, nec signo Crucis se munivisse professi sunt.*

Hæc si Nat. Alexandro occurrissent, nisi forsitan Luitprandus ab eo falsidicus habitus, nequaquam scribere potuisset, in causa Joannis aut nullos testes, aut de eadem re vix duos exiisse. Hos autem tantosque viros integerrimos S. R. E. Cardinales, Episcopos, presbyteros in ipso Concilio de visu, & ex certa scientia, interposito iuramento solemniter, omnes testificantes; imo universum Clerum & populum Romanum mendacii, convitii ac perjurii insinulare, atque insufficientes rejicere perfractoris est animi. Admodum Licentiosus reputari possit, qui iudicat, in hac causa tractanda turpi ac pudendo errore lapsos Patres Concilii spectatissimos, inter quos Archiepiscopi Treverensis, Hamburgensis, Bremensis, Episcopi Spirensis, Mindensis &c. virtute ac sapientia opinione florentissimi, dum, ut Ecclesiam Dei liberarent infamia, & nocentissima scandala sub-

moverent, monitum illud, nulla virtute redemptum, ut apud citatum legitur Historicum, diutius tolerare noluerunt, *INAUDITUM VULNUS INAUDITO CAUTERIO EXURENDUM* censentes. Neque in præceps actus fuit Imperator in hoc negotio, amovendo Joannem, in quem moderato animo maturoque processit consilio; præcavendo ut nulla in ipsum jaculentur convitia, quæ non sint ab eo parata atque à viris probatissimis visa, adeo, ut nemo prudens de reatu dubitare posset. Hæc autem crimina, dum Pontifici intimata fuissent, eum in finem, ut desuper sese purgaret, hic nulla accusationum facta mentione, rescripsisse fertur sub interminatione excommunicationis, ut à creando novo Pontifice desisterent. At in criminibus objectis, quod non excluditur, agnoscitur rectè scribit Entodius *Apolog. pro Synod.* Patres verò intentata fulmina tanquam fulgura ex pelvi habuerunt.

Frustra etiam (ajunt Leonistæ) prætenditur Joanni, via juris non convicto, injuriam factam. Fuit namque citatus prima Sess. à PP. Concilii pluribus quam sexaginta. Hos cum Imperator interrogasset, cur Joannes tantum declinaret Cæterum, responderunt, id satis perspicuum ob crimina toti mundo notissima. Synodus autem Kal. Decembr. intimaverat, contumacem Joannem habendum, si sese purgare detrectaverit. Post plurimum tamen dierum intervallum per duos deputatos Cardinales, litteris missis, facta fuit protestatio, quod si non compareret, seque defenderet; pro convicto habendum, quemadmodum non comparens post triduum pro tali declaratus fuit. Synodum tertio consedissememoratur Luitprandus, Joannem toties ab eacitatum referunt, præter Sigebertum, integræ fidei Historici, atque in tertia demum sessione omnium voce conclusum, definitumque; Joannem loco decidisse: & Leo fuit vitus dignior qui ad fidem Ecclesiam Dei, quam Joannes vita, regulis morum dis-

na, destruxerat. Hæc pleraque extant apud Luitprandum, quem Baronius ut alios communiter sibi aduersantes, suspectum habet de falsitate, eò quod Imperatori esset addictissimus. Ad tristem partem strenua est suspicio P. Syrus in *Mimis*.

Sed neq; absconū videri debet, pergunt Leonistæ, quod Cardinalis *loc. cit.* tantopere exagitat, à Patribus Concilii fuisse interpellatum Imperatorem. Cum enim absque hujus ope non poterat Joannes expelli, turbatis Ecclesiæ rebus, extraordinario malo, quale hoc certè erat, extraordinarium remedium adhiberi potuit & debuit.

*Ovid. Met. 1. fab. 6.
immedicabile vulnus*

Ense recidendum ne pars sincera trahatur. Neque in Ecclesia est inusitatum, ut pro executione sententiæ, ubi opus est, brachium sæculare adhibeatur. Jura electionum erant penes Cardinales, Clerum, Populumque Romanum, haud negante Baronio; porrigunt ergo in substitutione novi Pontificis requirere consensum Imperatoris Romani, qui est Ecclesiæ Catholicæ advocatus primarius.

III. Leo, Proto-Scriniarius homo laicus, in Concilio Romano Anno 964, sub Joanne XII. celebrato, ab omnibus tunc existentibus Cardinalibus, Episcopis, numeroso Clero ac Nobilitate Romana fuit denunciatus neophytus & mœchus, qui uxorem alienam, Ecclesiam scilicet Romanam, viro superstite, Joanne, usurpasset; proinde sententiâ definitiva judicatum fuit, hunc protinus eiciendum; quod etiam executione mandatum fuit. Itaque Pseudo-Pontifex Leo habendus est.

Concilium illud unquam celebratum negat quidem Joannes Launoy, familiari sibi argumento, quod Authores illius ævi, nullam ejusdem fecerint mentionem; sed ablegandus est ad Bibliothecam Vaticanam, in qua extat vetustissimus Codex, illius Concilii acta continens, unde Baronius sceneravit. Negat

vero Du Pin, de *antiq. Ecol. discipl. Dissert. 6.* quod his actis scriptis ulla debeatur fides; cum nullum hujusmodi habitum Concilium prætendat constare; vultque Cardinalem omnino infœliciter Joannis suscepisse patrocinium ab hac ficta Synodo restituti: quod ipsum non aliunde habere autumat, quam ex interpolato Chronico Sigeberti, quod additamentum Aubertus Miræus non reperit in MS. Gemblacensis Monasterii. De eo quidquid sit, meminisse illius Concilii Vincentius Bellou, *Spec. Hist. Lib. 24. cap. 86.* Illudque in dubium revocare non sunt ausi Centuriatores.

Sunt insuper qui prætendant, hosce, scortorum opera interveniente, coagmentatum & tumultuariè coactum Conciliabulum nullam habuisse potestatem in legitime electum Leonem Pontificem, & ab Imperatore agnatum; quodque Antiquitates, qui eundem antea Canonice elegerant, dum electum excutere attentarunt & fastigio movere, plus facti, quam juris exercuerint; quibus illud Juris-Consultorum adagium inculcari debuisset. *Quod semel placuit amplius displicere non debet.* Neque enim fas est electoribus electum pro libitu suo privare jure acquiritum.

Moluntur deinde Leonistæ remonstrare, quod Laicatus Leoni non obstat potuerit, quo minus in Pontificem eligereatur: tum quod aliis etiam Infula Vaticana obveniret, qui nullo caractere Hierarchico fuerant insigniti; & Episcopi sint electi, qui necdum Christiani erant; tum quod juri Divino, Christi instituto, Ecclesiæ bono magis repugnet, retinere in sinu Ecclesiæ serpentem, arque Sedis invasorem, quam eligere virum probum licet Sæcularem in Pastorem Sacris initiandum.

Rebus sic ventilatis, Controversia abovo ad pomum deducta densiori nubilo obscuratur Anti-Leonistarū ad argumenta responsionibus, & argumentantium oppositionibus.

Ad Pri.

Ad primum Responderetur, quod conventio contra Joannem coacta non fuerit nisi Pseudo-Synodus. Etenim cum illi, qui interfuissent facti sint, quod Joannes esset verus Pontifex Romanus; Unde ipsis facultas obvenit convocandi Concilium Romæ absque hujus consensu; Hoc licere negant suo testimonio omnes Episcopi in Concilio sub Symmacho Papa. Ira Baronius.

Huic reponunt alii & dicunt, absurdum esse, ut requiratur consensus Joannis in eam Synodum in qua ipse judicandus esset, nulla purgationis deinceps reliqua specie; certè convincendus tot enormium facinorum ac recentissima etiam perduellionis, desperataeque poenitentia. Et quid jam fiet de Conciliis aliis habitis, etiam inter Oecumenica recentibus, non expectato in iis consensu Romani Pontificis? In facti contingentia potuisse Concilium citra Pontificis voluntatem convocari, quatenus ei resisteretur sentiunt Cardinalis de Turcere mata, Sylvester Prietas, Franciscus Victoria alique plures, fidente Nat. Alexandro. L. C. Detur insuper, quod Concilium sine Pontificis consensu coactum non sit habendum pro legitimo, de quo varii variè sentiunt; in eo tamen omnes conveniunt; quod, dum Papa est intrusus, licet, ob bonum pacis, ad tempus toleratus; aut dum est dubium an verus sit Pontifex; quod Concilium sine hujus Autoritate legitime congregari, celebrari ac in eodem iudicari possit vel dubius vel intrusus Pontifex. Gregorius, XII. post mortem Innocentii VII. electus cum indiceret Concilium in Ravennate Exarchatu celebrandum, illius convocandi potestatem sibi soli competere prætendebat: sed obstiterunt Cardinales, atque ad se pertinere contendebant. Quin Pontifice etiam reclamante & prohibente Anno 1409. Pisanum Concilium instituerunt; in quo Gregorius fuit depositus ac Petrus de Candia electus, qui nomen Alexandri V. assumpsit; atque in eo supremæ Dignitatis culmine universæ Ecclesiæ præfuit.

Instant Anti-Leonistæ, Pisanum Concilium fuisse æquè ac Romanum, de quo agitur. Atque imprimis S. Antoninus tunc vivens disertè negat Pisanum Coetum fuisse veram Synodum; cum ne quidem esset congregatus Autoritate illius, qui se pro Pontifice gerebat. Negat quoque cum ipse, tum alii multi, Alexandrum fuisse verum Christi Vicarium; cui non omnes Ecclesiæ fideles; sed paucos quosdam in diversis Provinciis paruisse constat. Unde Pontifex non absolute; sed in sua obedientia à veris postea Pontificibus & Conciliis appellatus legitur. Sed neque Pisana Conventio primò à Cardinalibus; quin potius ab ipso Gregorio indicta fuit. Cardinales quidem, ut auctoritatem convocandi Concilium sibi appropriarent, litteras ediderant de Pisano Concilio sub 25^{ta}. Junii falso consignatas, cum tamen mense Augusto subsequente pro Concilio celebrando à Pisanis & Florentinis facultatem prius obtinissent. At Gregorius die 24^{ta}. Julii Concilium Pisis celebrandum indixerat: cui frustra moliti sunt Cardinales litem intentare; quasi jura Canonica, quæ de Concilio Oecumenico celebrando sancita sunt, præsentis casui accommodari nequeant.

Replicant Leonistæ. Si Alexander V. non fuit verus Pontifex, hoc ideo erit, quia Gregorio XII. vero Pontifice superstite fuit electus. Eo admisso neque Joannes XXIII. Alexandro defuncto surrogatus, cum adhuc Gregorius in vivis degeret, erit dicendus verus Pontifex. Hinc sequitur, quod is Concilium Constantiense à multis pro legitimo habitum non potuerit indicare; & cum Gregorius nequaquam indixerit; certè Cardinales indixerunt; in eo tamen tam Gregorius, quam Joannes citati & iudicati fuerunt. Quemadmodum verò Concilium hoc per Imperatorem Sigismundum ex pactione cum Cardinalibus inita, Constantiæ fuit celebratum, & Gregorum pariter & Joannem

N n n

adegit

adegit ut Pontificiam Dignitatem deponerent : ita Romanum Concilium , admittente Ottone à Cardinalibus aliisque Ecclesiæ Præsulibus in Urbe celebratum Joannem compulit , ut juri suo , sive vero , sive putatio cederet.

Verùm Anti-Leonistæ negant paritatem : eo quod Concilium Romanum à nullo prorsus Pontifice fuerit indictum : Constantiense autem , licet Imperatoris & Cardinalium nisu , citra Gregorii XII. voluntatem fuerit inchoatum ; Sessione tamen 14^{ta} hujus jussu convocatum , quando & ipse pro communi Ecclesiæ bono sese abdicavit.

Ad Secundum Respondetur. Post Joannis mortem electus est , Sede vacante , Benedictus V. ab iis , quorum intererat Ecclesiæ de novo Capite providere , qui nulla confirmatione indigebat , quia superiorem in terris non habebat. Quod si juramentum præstitum de non eligendo Pontifice citra Imperatoris voluntatem prohibuerit fortè eligentes , quominus licitè eligerent , non tamen ideo electio censeri poterat irrita. Siquidem multa prohibentur fieri , quæ tamen facta tenent. Benedictum Otto quidem ejecit & abduxit : sed iniquè , ut illius temporis sincerissimus , teste Posséveno , Chronologus Ditmarus Merseburgensis Episcopus scribit *Chron. in Ottone 1.* ubi addit. *Ob depositionem Benedicti Papæ & exilium seiva mortalitas Imperatoris exercitum subsequitur , quo Henricum Trevirensis Archi-Episcopum & Ducem Godofridum cum cæteris innumerabilibus consumpsit.* Hunc Pontificem in ærumnis mortuum Baronius vocat Martyrem. Quare Leo nec vivente , nec mortuo Joanne reperit locum in Sede Romana. Porro beneplacitum Imperatoris , quod Benedicto dederat , in eo tantum consistebat , quod Clerus electum præfentaret , atque sic electus esset acceptior , necnon electio firmior contra iniquas machinationes ; quatenus hoc modo fomes discordiarum mitigaretur , & ania

jurgiorum evitaretur. Nequaquam verò ab Ottonis voluntate dependebat illa electio seu dispositio Pontificis.

Ad id quod de concessione Leonis adferretur Distinct. 63. C. in Synod. 23. Ego Leo quodquæ Genebrardus vocat jus investituræ iterum Imperatori collatum , responderi poterit. Ibidem quidem refertur quali Adriano Carolo M. Imp. & successoribus jus tribuerit denominandi Rom. Pontificem : Sed Baronius ad A. C. 774. n. 10^{mo}. & seq. Sigebertum Gemblec. schismatici Imp. Henrici IV. asseclam hujus suppositiui Diplomatis fabricatorem proclamat : eumque ut detestabilem impostorem tractat. Atque ut ex uno absurdo facilè plura absurda sequuntur ; Leo dictus VIII. persuasus de authentico , attendavit aut ratificare aut renovare , quod non erat , & fortè illa tempestate in solo rumore consistebat. Petrus de Marca in *Concordia Sacerdotis & Imperii Lib. 8. Cap. 12.* contendit illam Adriani concessionem esse Authenticam : sed , arbitro Natali Alexandro , Baronii argumentis in contrarium adductis non satis respondet : quidquid Maimbourgus in tract. *Gallico de defect. Imp.* censet eadem argumenta , in opinione Baronii irrefragabilia , omnino ab eodem Petro de Marca esse destructa. Sit ut sit ; concedendum est Sigebertum monachum hujus Diplomatis non potuisse esse fabricatorem. Annis siquidem centum quadraginta , priusquam Sigebertus Chronicon scripsit , Leo Diplomatis meminuit. Iosset tamen dici & Leonis Diploma esse suppositivum , in quo Otto jam Imperator , nuncupatur *Patricius & Rex* , & in quo ultimum supplicium violatori hujus Constitutionis irrogatur , quod à stylo aliorum Diplomatum Pontificiorum prorsus est alienum. Ut proinde mirum sit , hanc Leonianam Constitutionem haberi in Decreto Gratiani Authoritate Gregorii XIII. P. M. diligenter reviso examinato & recognito.

Ad Tertium Respondetur. Errorem in appella-

appellandis Pontificibus, vel proprio numero designandis, ex consuetudine & vulgari usu ortum, non efficere, ut præcedentes, juxta quorum numerum computatur, fuerint veri Pontifices; ut patet in variis. Felix III. Atavus sancti Gregorii Magni, vocatur Quartus, qui tamen illius nominis tertius erat; & tertius; sic dictus, secundus erat; quando Felix ille, Liberti successor inter Pontifices numerandus non venit. Eadem discrepantia reperitur in iis, qui Joannis, Benedicti & Martini nomen assumpserunt. Et si hæc numerandi ratio veros efficiat aut præcedentes designet Pontifices, Benedictus V. pariter erit pro tali habendus. Quia, qui Anno 974. in Sede Romana præfuit, filius Hildebrandi, atque à Bonifacio strangulatus, fuit Sextus appellatus. Isque ordo numerandi in aliis subsequenibus istius nominis fuit observatus, usque ad modicum Benedictum XIII. Pontificem verè magnum, verè sanctissimum.

Opinamenta synchronorum veritati nil officit. Neque enim Scriptorum pluralitas aude spectata verum efficit, quando obstant argumenta ineluctabilia. Historici illi, sicut Baronius scribit, cæco errore ducti in odium Joannis impurissimi sunt prolapsi; sicque ignorantia tenebris obvoluti, in tam graves inpegerunt errores; ut vix pauci, quibus inquirendæ veritatis amor fuit, & studium ejus peccurandæ inhæserat, inventi sunt; qui obreptam veritatem vindicaverint in lucem.

At qui ævo nostro in antiquorum monumentis longo usu versati sunt, volunt Baronium contra viros hos præclaros & eruditos precariò excipere. Certè Otto Frisingensis, si quis alius, veritatis vindicandæ studiosissimus, cum Imperatoris aliorumque Præsulum non prober factum, redarguere tamen noluit.

Atque his omnibus utrimque æqua lance periculatis, non erit usque adeo in prom-

ptu dijudicare, quænam argumenta hac in Controversia præponderent: ejus demum solutionem prudens Lector facilius advertet dependere ex quæstione juris. An Romanus Pontifex possit extra casum hæreticis in jus vocari. Quod si ita: jam Baronii ratiocinium debet cenferi enerve. Sin minus; ruit Leo de culmine Pontificatus.

Pro inficiando sunt 1^{us}. Quod dicitur in Concilio Romano sub Symmacho circa annum 500. *Papam nunquam minorum subjacuisse judicio.* Ubi licet aliqui legant *inimicorum pro minorum*, eo quod inimici Symmachi, scilicet schismatici, Pontificem apud Theodoricum Gothorum Regem falso accusassent: ipsimet tamen Authores, qui in quæstione Controversa affirmativam tuerentur sententiam, fatentur in optimæ notæ Codicibus legi *minorum*. Quidam malunt minorum nomine intelligere iudices sæculares, non Episcopos, qui minores nec dici debent nec possunt, quando sunt in Concilio congregati; quin etiam Romani Pontifices Episcopos, ad quos scribunt, collegas, fratres & confacerdotes passim appellant, & Pontifex, qui in Primatu est superior, in Episcopatu frater agnoscitur, ut eum S. Cyprianus in suis frequenter appellat Epistolis.

Secundo apud Gratianum in collectione Decretorum, *Distinc. 40. C. si Papa.* habetur. *Cujus istic redarguere præsumit mortalius nullus, qui cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Atque hæc conformia sunt iis, quæ varii Pontifices tum ante tum post hanc collectionem edixerunt. Quippe Adrianus II. in Epistola, quæ Synodi sextæ *Act. 7.* lecta & approbata est, scribit. *Licet Honorio ab Orientalibus post mortem Anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super hæresi fuerat accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum moribus resistere, vel pravis sensus licite respicere.* Eapropter Alexander III. prudentissimè sancivit

Cap. licet. Extra de Elect. majori cautela eligendum Romanum Pontificem, quam ceteros Episcopos: quia si malus eligatur Pontifex, nullum erit remedium: cum non habeat superiorem à quo deponi possit. Quod ipsum tamen aliqui restringere volunt ad tempus, quo nullum convocatum est concilium. Verùm Innocentius III. *Serm. de Consecrat. Pontif.* declarat Pontificem in moribus à nullo homine posse judicari. *In tantum*, ait, *mibi fides necessaria est: ut cum in ceteris peccatis solum Deum iudicem habeam, propter peccatū, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari.* Deinde Bonifacius VIII. in Extravag. *Unam Sanctam*. decernit supremam esse Pontificis Romani potestatem, quæ non nisi à Deo possit judicari.

Romanum Pontificem propter excessus enormes & crimina, extra calum hæresis, à Conciliis judicari, atque à Sede deici posse, sunt, qui hæc evincere volunt.

Primo. Concilium in Italia sub Damaso in *Epistola 3. ad Gratianum & Valentinianum Imp.* scribit *Memoratus* frater Damasus, quoniam in sua causa Vestri tenet insigne iudicium, non fiat inferior, quibus & si equalis est munere, prærogativa tamen Apostolica sedis excellit; ut iudicium publicis videantur esse subiecti; quibus sacerdotale caput lex nostra summovet::: Quod vero ad predicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse iudicium sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur::: Quoniam non novum aliquid petit: sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur apud Concilium Imperiale se defendat. Nam & Sylvester Papa à sacrilegis accusatus apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est.

Secundo. Concilium aliud in Italia celebratum jussu Theodorici Regis in causa Symmachi, hunc ob defectum sufficientis probationis absolvit. *Decernimus*, inquit

unt Patres, ut *Symmachus* Papa Sedis Apostolicæ præsul ab hujusmodi propositionibus impetratus, quantum ad homines respicit, quia totum causis obsistentibus designatis, constat arbitrio divino fuisse dimissum, sit immunitus & Liber::: totamque causam Dei iudicio reservantes, universos hortamur, ut sacram communionem ab eo recipiant. Verùm Ennodius Episcopus Ticinensis, hæc interpretando pro sententia contraria, in Apologetico scribit. *Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare; Sed istius Præsulem suo, sine questione, reservavit arbitrio.* Ob hoc Du Pinus vico gravi, & sanctimoniâ illustri adulationis vitium, quod est oleum peccatoris, apud Callidorum, impingere non vetetur. Immo sanè. Etenim si Ruffini auctoritas non levis deb. esse ponderis in translatione Canonum Concilii Nicani, quod eodem, quo Concilium celebratum est sæculo vixerit, & scripserit; quo tempore ex Ecclesiarum regimine colligi poterat, qua ratione Patres Nicani intelligendi, ut Theologus ille Parisiensis argumentatur *Dissert. 1. §. ultimo*: nequit non esse gravis Ennodii in expositione illius Concilii auctoritas, cujus ipse magna pars exitit. Quo tempore viguit opinio, quod Episcopi Italici congregati non habeant facultatem judicandi in moribus Pontificum Romanorum, quam licet vanam fuisse Dissertator velit; admittit nihilominus, dum hæc Synodus decernit *Papam nunquam minorum subjacuisse iudicio*; etiam si de Episcopis loqueretur, loqui de Concilio quorundam Italiæ Episcoporum extra Concilium Generale. Quo admisso, ex adductis duobus exemplis nihil omnino probatur; sicut neque ex tertio, quod insigne dicit, de Joanne Duodecimo per Romanum Concilium deposito, quod Generale non fuit. Nam si Episcoporum Italicorum Papa nunquam subjacuit iudicio, frustra prætenduntur in contrarium attentata, ut probetur subjacuisse, quia

quia vitioso, ut loquuntur in Scholis, circulo probat jus per facta, & ex jure facta deducit, minimè observans quod ipsemet cit. *Dissert.* 7. §. *Ante omnia observandum*, scribit, *Theologis omnibus persuasum semper fuisse, à facto ad jus raro concludi: cum singularia facta sine regula, sine lege precedenti jus facere minime possint* :: Porro si exempla & facta in genere ad jus constituendum raro vim habent; nullius certè sunt *Autoritatis aut ponderis*, quando ea tantum sunt illius partis, cuius interest jus aliquod constitui, reclamante altera, cuius interest, non constitui. Atqui reclamavit Joannes, quando Episcopi jus deponendi Pontificem Romanum usurpârunt; & illo vivente, æque ac post mortem reclamavit Clerus Populusque Romanus: qui, referente etiam non semel Du Pino, existimabant Pontificem à Synodo, præsertim particulari deponi non posse, nisi in casu hæreseos. Agebatur autem in Concilio Romano de moribus Pontificis Joannis, uti olim in simili Concilio, de moribus Pontificis Symmachii; quo in casu existimabant plures, eum reservandum esse Divino iudicio.

Illà denique exempla depositorum Pontificum per Concilia Pisanum, Constantiense & Basiliense à Dissertatore producta, huic Controversiæ decidendæ servire nequeunt, tum, quod dicantur illa Concilia Generalia, tum, quod si ab universa Ecclesia pro legitimis Pontificibus non sint habiti, qui in duo-

bus primis Conciliis depositi fuerunt: tum denique, quod Basiliense frustra attentaverit legitimum Pontificem deponere ac Pseudo-Papam eligere.

Docuerant olim non pauci Theologi ac Canonistæ quod à nullo Papa sit reprehendendus, nisi in causa hæresis. Quæ quidè Propositio inter Joannis Angeli Minoritæ 12^{ma} à Facultate Parisiensi Anno 1482. est proscripta, ut fallâ, scandalosa & sapiens hæresis manifestam, quemadmodum Du Pinus *Dissert.* 5. §. 7. perhibet. Verùm ut is *Dissert.* 6. §. *ultimo* Bonifacii VIII. *Extravagantem Uram Sanctam*, tanquam omni ratione & autoritate destitutam nihil omnino moratur: sic plures sunt, qui eandem censuram Parisiensem ita pariter censuram nihil omnino morantur. Cùm itaque ex una parte non legatur, quod Joannes XII. non fuerit hæresis accusatus: ex altera verò parte Ecclesia non decidisset Juris quæstionem (de Decisione *Sess.* 4. & 5. in Concilio Constantiensi inter Orthodoxos non convenit) prudenter modestèque scripsit Otto Fritingensis, ubi supra *Lib. 6. cap. 23.* de gestis in causâ ejusdem Pontificis.

Quæ omnia, utrum licite, an secus acta sint, dicere presentis non est operis.

